

fructus Beneficii tali anno correspondentes possit in conscientia retinere.

Respondeo affirmative. Quamvis enim ex dispositione c. commissa de elect. in 6. non solum mortaliter peccet, sed etiam ad restitutionem perceptorum fructuum teneatur, qui Beneficium curatum accipit absque animo suscipiendo Sacerdotium intra annum a jure prescriptum; adhuc tamen, cum in laudato texu habeatur, praedictam dispositionem quoad fructus non valere, quando qui Beneficium obtinuit, mutata voluntate, promotus ad Sacerdotium fuit, clare infertur, Diaconum nostrum, qui mutata voluntate, intra annum Sacerdos effectus est, ita conditionem ab Ecclesia exigitam adimpluisse, ut possit in conscientia obtenti Beneficii fructus etiam primo anno correspondentes tamquam sibi debitos, retinere. Ex quo itaque fraus aliqua ex parte ipsius Diaconi eo tempore, quo Beneficium curatum obtinuit, intercesserit, inferri quidem potest, ipsum graviter peccasse, non tamen ad aliquam perceptorum fructuum restitutionem teneri, cum ipsa fraus quantum ad fructus retinendos, per voluntatis mutationem, & conditionis impositae adimplementum sufficienter purgetur. Ita Layman lib. 4. tr. 2. cap. 14. n. 10. aliisque ex Barb. de offic. Par. c. 6. n. 15.

### ME N S E . S E P T E M B R I S .

**CAS.I.** Accusans se poenitens de copula habita cum meretrice, recusat solvere pretium, quod pro obtainendo illius corporis usu promisit. Q. an hoc stante possit absolvit.

Respondeo negative, probabilius loquendo. Ratio est, quia quando in contractu oneroso, etiam de re illicita facta, una pars adimplevit, quod jam proiniserat, aequum est, ut etiam altera pars suam adimpleat promissionem; cum etiam res illicita sit pretio estimabilis; non quidem ut illicita est, sed ratione periculi, aut damni, cui se exposuit, qui rem illicitam executus fuit, aut ratione voluptatis, vel utilitatis perceptae ab eo, qui opus illicitum fieri procuravit. Hac itaque de causa, qui meretrici pretium sponspit pro obtainendo illius corporis usu, eodem usu jam consecuto pretium solvere tenetur, cum meretrix non se obligaverit ad gratis faciendum, quod illicite fecit, sed solum dependenter a pretio, quod turpi conditione jam adimplenta solvi omnino licite potest. Et proinde si poenitens se accusans de copula habita cum meretrice recusat solvere pretium, quod pro obtainendo illius corporis usu promisit, tamquam injustus rei alienae possessor, probabilius loquendo, absolvendus non est. Duxi probabilius loquendo, quia opposita etiam opinio sua probabilitate non caret. Ita Homob. in exam. Eccles. p. 2. tr. 9. c. 6. q. 24. Diana tom. 8. tr. 7. res. 59. §. 2. Girib. de rest. cap. 4. n. 8. & seq.

**CAS. II.** Dum Sacerdos, peracta Consecratione, signum Crucis supra Calicem cum Hostia efformat, Hostia e manibus in Calicem cadit, unde ferre tota remanet madefacta. Q. quo ritu prosequendum sit Sacrificium.

Respondeo cum distinctione. Si commode extrahi potest a Calice aliqua sensibilis Hostiae pars, quae non sit sanguine madefacta, debet Sacerdos nihil reiterando prosequi Missam, ceremonias, & signa consueta cum praedicta

ta residua Hostiae parte faciendo usque dum integrum Sacrificium perfec-  
tit. Si vero Hostia ita remaneat madefacta, ut extrahi non possit a Calice  
pars sensibilis, & ad perficiendum de more Sacrificium idonea; nihil a Ca-  
lice extrahi debet, sed omissis signis, & Crucibus, quae cum ipsa Hostia,  
vel supra ipsam Hostiam fieri solent, debet Sacerdos una cum Corpore su-  
mere Sanguinem, signans se cum Calice, & dicens: Corpus, & Sanguis  
Domini nostri, &c. & ita usque ad finem Sacrificium prosequendum est. Ita  
ex Rubr. Miss. tit. 10. n. 10. Gav. in easd. Rubr. p. 3. & D. Thom. q. 83.  
art. 6. ad 6.

**CAS. III.** Francisca vovit recitare quotidie septies Pater, & Ave in ho-  
norem B. V. sed ob negligentiam saepe saepius non recitavit. Q. an graviter  
in tali omissione peccaverit.

Respondeo negative. Ratio est, quia ex una parte nequit vovens ex com-  
muni mente Doctorum se obligare sub gravi ad ponendam materiam levet,  
cum Deus talis obligationem, utpote imprudenter factam, non acceptet,  
& ex altera parte singulæ illæ recitationes fuerunt juxta terminos casus ex  
mente Franciscæ voventis singulis diebus affixaæ, & proinde cum omissione  
unius recitationis non habeat continuationem cum omissione alterius, di-  
cendum est, quamcumque omissionem, etiam saepius repetitam, numquam  
omissionem gravem inferre. Nisi igitur Francisca ex erronea conscientia  
putaverit se teneri sub gravi ad singulas illas recitationes, numquam in tali  
omissione, quantumvis fuerit omissione totius materiae pro quolibet die per  
Votum missæ, & fuerit saepe saepius repetita, eamdem Franciscam gra-  
viter peccasse, dicendum est. Ita cum Dian. p. 4. tr. 5. resol. 36. Sporer de  
voto tr. c. 2. sect. 3. n. 89.

### ME N S E O C T O B R I S .

**CAS. I.** Peccatori Excommunicato occulto Communionem publice peten-  
ti Sacerdos Particulam præbuit non Consecratam, ut Sacra-  
menti reverentiae consuleret. Q. an bene se gesserit.

Resp. negative. Tum quia, dum peccatori occulto, loco consecrata, præ-  
beatur Particula non consecrata, intervenit simulatio, quæ in Sacramen-  
tum administratione tamquam perniciosa, & execrabilis ab Innoc. XI. in  
prop. 29. propria est. Tum quia ex tali porrectione Hostiae non consecra-  
ta præbeatur occasio idolatriæ, quæ longe gravius, & deterius peccatum est  
ipso peccato indignæ sumptionis. Sicut igitur ad reverentiam Sacramento  
servandam licitum non est peccatori occulto publice petenti Sacramentum  
denegare, cum ipse Christus Dominus a participatione sui Corporis non re-  
pulerit Judam, quamvis ipsum indignum esse non ignoraret; ita pro ea-  
dem reverentia Sacramento serveanda nequit loco consecrata porrigi Hostia  
non consecrata; tum quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona: tum  
quia major est irreverentia, quæ in easu patitur a Sacerdote, quam sit illa,  
quæ in suspiciente vitatur. Ita ex D. Thom. in 3. p. quæst. 80. art. 6. ad  
secundum. Dian. part. 4. tr. 4. res. 47. Suar. tom. 3. in tertiam part. dis.  
67. sect. 4.

CAS. II. Postquam mulier, permittente Marito, copulam habuit cum Mariti Fratre, eidem Marito petenti debitum negat. Q. an jure negare possit.

Respondeo affirmative. Nam quamvis unius conjugis delictum non debeat alteri prejudicium inferre, si alter conjux innocens sit, ut coligitur ex cap. discretionem, de eo, qui cognovit consanguineam: attamen, quando alter conjux patrati sceleris consensu, vel suassione particeps fuit, uterque debet eamdem pœnam incurrire, cum ex adducto cap. habeatur, ei tantum non debere officere affinitatem conjugis post Matrimonium inique contractam, qui hujusmodi iniquitatis particeps non extitit; cum hic suo jure non debeat sine sua culpa privari. Cum itaque, ex quo mulier copulam habuerint cum mariti fratre, permittente marito, clare appareret maritum suo consensu fuisse partipem patrati incestus; sequitur, nedum ipsam mulierem ratione affinitatis cum marito contractæ privatum esse jure petendi debitum, sed hoc eodem jure privatum quoque esse ipsum maritum. Dato autem, quod maritus in tali jure privatus sit, ipsi, utpote illicite petenti, jure merito debitum negari potest. Ita ex Girib. de Matrim. c. 19. n. 55. Sanch. de debito conjug. l. 9. disp. 27. num. 3.

CAS. III. Putans vir quidam pius sexaginta dumtaxat miliaribus Laurentum Bononia distare, ad B. V. Lauretanam peregrinationem vovit; sed inde distare cognovit miliaribus centum, & quinquaginta. Q. an teneatur prædictum votum implere.

Respondeo negative. Cum enim certum sit ex una parte ad voti valorem requiri consensum voventis in rem voto promissam, & ex alia parte nihil sit magis contrarium consensui, quam error, nec voluntas feratur in incognitum, dicendum est, virum pium, qui peregrinationem vovit ad B. Virginem Laureranam ex errore quo putavit Lauretum sexaginta dumtaxat miliaribus Bononia distare, cum distet miliaribus centum, & quinquaginta, ad iter hoc subeundum nullatenus obligari. Eo præcipue quod vovents ex regula generali ad voti adimplementum non obligatur in eo eventu, qui si menti voventis tempore emissi voti occurisset, verosimiliter fuisset ab ipso vovente exclusus. Dicendum itaque, quod cum omssum Votum ex defectu consensus circa notabilem circumstantiam peregrinationis promissæ non valeat, vir pius nullatenus tenetur prædictum votum implere. Ita Suar. tom. 2. de relig. de voto L. 1. c. 11. n. 8. Beat. p. 1. q. 33 res. 2.

### MENSE NOVEMBERIS.

CAS. I. Caius post Confessionem in Paschate factam, advertit se duo peccata & lethalia ex obliuione omisisse. Q. an intra eumdem annum teneatur iterum confiteri.

Respondeo cum distinctione. Si Caius in Paschate alia lethalia confessus est, confiteri iterum non tenetur. Ratio est, quia præceptum Confessionis Sacramentalis semel saltem in anno facienda juxta Decretum Concil. Later. sub Innoc. III. nihil aliud importat, quam ut quisque, postquam diligenter se excuserit, & conscientia suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea

pec-

pecata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit, ut inquit Trid. sess. 14. c. 5. Cum igitur Caius ea peccata in Paschate confessus sit, quibus se Dominum mortaliter offendisse recordabatur, dicendum est, ita satisfecisse annua Confessionis præcepto, ut vi talis præcepti peccata ex obliuione omissa iterum intra eumdem annum confiteri non teneatur. Si vero peccata, quæ in Paschate Caius confessus est, fuissent tantum venialia, advertens post Confessionem se peccata lethalia ex obliuione omisisse, intra eumdem annum confiteri iterum teneretur: quia cum annua Confessionis præceptum non nisi circa lethalia versetur, dicto præcepto non satisfecisset Caius per solam venialium Confessionem, & proinde teneretur intra eumdem annum, sive de oblitis, sive de aliis lethaliis, si quæ denuo commisisset, iterum confiteri. Ita Lugus disp. 15. n. 164. Dian. p. 4. tr. 4. resol. 206. Girib. de pœnit. c. 5. n. 46.

CAS. II. Res in juste sublata perit apud furem, sed periisset etiam apud dominum ex incendio in ejusdem domo secuto. Q. utrum Fur ad aliquam teneatur restitutionem.

Resp. negative. Quia si Fur in casu ad aliquam tenetur restitutionem, hoc esse debet vel ratione rei acceptæ, vel ratione injustæ acceptio[n]is. Neutrum autem dici potest. Non primum; nam res accepta amplius non datur, cum ex hypotesi apud furem perierit. Non secundum, cum injusta acceptio non inducat restituendi obligationem, nisi fuerit causa efficax damni, qualis non est in casu, quo res furto sublata etiam apud dominum ex incendio in ejus domo secuto periisset. Dicendum proinde, quod si fur nullo modo ex re furto sublata factus sit ditior, & res eadem, quæ apud ipsum perit, eodem modo apud dominum ex incendio periisset, ad nullam tenetur restitutionem: sicuti Nauta liberatur à quocumque onere restitutionis, licet invito domino. Merces transtulerit ab una Navi ad aliam deteriorem, in qua perierunt, quando etiam prima Navis, à qua Merces translatae sunt, in eadem tempestate naufragium passa est. Ita ex l. 1. ad Legem Rod. de jactur. Less. de rest. l. 2. c. 12. n. 92. Tamb. l. 8. tr. 3. c. 2. §. 8.

CAS. III. Cum Titius creditur agrum sterilem, & incultum, quem à Cajo debitore recepit in pignus, excoluerit, fructus aliquos inde percepit. Q. an eosdem fructus licite valeat retinere.

Respondeo negative. Ratio est, quia quamvis Titius fructus ex agro percepit ex quo ipsum propriis expensis, & laboribus excoluerit; adhuc tamen certum est, quod tales fructus spectant ad Cajum, qui dedit agrum in pignus, cum fructus eo ipso, quod ex aliquo fundo nascantur, ad dominum fundi pertineant, ut clare constat ex l. 1. cod. de act. pignor. & c. 1. de usur. Nisi igitur constet de expressa, vel saltem præsumpta domini voluntate libere concedentis, & condonantis tales fructus, debent fructus ipsi, extratis expensis, & laboribus in agro colendo insumptis; vel Domino fundi restitui, vel in sortem computari; secus Creditor tales fructus sine justa causa supra sortem recipiens ex re aliena, nullatenus posset ab injustitia labe excusari. Ita ex Rosig. de contract. 3. prænot. 12. n. 3. & 4. Nav. in Manu. c. 17. num. 216.

*titulus titius in pignus in lege rod. cap. iii. art. 1. secundum iuris romani et iuris canonici*

- 100 -

**CAS. I.** **P**anus Præbyter, accepta Eleemosyna pro Sacrificio, in talis animæ Suffragium offerendo Sacrificium, obtulit quadam die, sed absque intentione satisfaciendi debito contracto per Eleemosynam. Q. an tenetur Sacrificium novum offere.

Respondeo cum distinctione. Si Paulus numquam habuit intentionem applicandi Sacrificium juxta illius mentem, qui Eleemosynam præbuit, claram est Paulum nequaquam debito à se contracto satisfecisse; quia nulla præexistente determinata intentione, habitualiter saltem durante, dici nequit, quod pro uno potius, quam altero Sacrificium offeratur. Si vero ab opposito accepit Eleemosyna pro Sacrificio in talis animæ Suffragium offerendo, habuit aliquando intentionem applicandi Sacrificium juxta mentem petentis dicendum est, quod etiam si ea die, qua Paulus obiulit Sacrificium, novam non haberet intentionem satisfaciendi debito contracto per Eleemosynam, taliter eidem debito satisficerit, ut ad nihil amplius teneatur. Ratio est, quia cum applicatio Sacrificii sit veluti ejusdem donatio, quæ à Deo acceptatur, etiam antequam fiat ipsiusmet Sacrificii actualis oblatio, necessitate non est, quod voluntas applicandi pro tali anima existat, quando fit Sacrificium, sed suffici præcise fuisse, & retractatam non esse. Et hæc est praxis, juxta quam pii etiam Sacerdotes non sunt solliciti de renovanda intentione ea die, qua offerunt Sacrificium, dummodo jam habitam non retractaverint. Dicendum proinde, neque Sacerdotem nostrum in hac hypothesi amplius teneri pro sui debiti satisfactione Sacrificium novum offere. Ita Girib. de Sacrif. Missæ c. 4. n. 3. Cacheran. tr. 9. c. 4. §. 2. n. 30. Lug. disp. 8. sect. 6. n. 93.

**CAS. II.** Ut diutius devote populum in Ecclesia retineat, solet ruralis quidam Parochus Natalis Nocte tres Missas successive celebrare. Q. an licite hoc faciat.

Respondeo negative. Quamvis enim olim non defuerint Theologi, & Canonistæ, qui, teste Diana pluribus in locis, & de Lugo de Euchar. disp. 20. sect. 1. num. 25. docuerint licitum esse post primam Natalis Noctis Missam successive inmediate duas alias celebrare; hoc tamen dici amplius non potest; cum per plura tum Sacrae Rituum Congregationis, tum Synodalium Constitutionum Decreta tales Missas successive celebrare vetitum sit: Cum enim plures Sacrae Rituum Congregationi propositum fuerit dubium: An liceret Sacerdotibus, Natalis Nocte celebrantibus tres Missas successive celebrare, eadem Congregatio semper respondit: Non licere, ut constat ex Decretis emanatis die 7. Decembris 1641. die 9. Agusti 1653. die 20. Aprilis 1664. die 15. Novembris 1678. Confirmatis postremo sub Clemente XI. die 18. Decembris 1702. Quibus Decretis inixa Synodus nostra Dioecesana, sub pœna suspensionis ipso facto incurrienda, prædictas tres Missas sucessive celebrare verat, ut cap. 5. de celebratione Missæ videtur est; & ex Pignat. tom. 7. consult. 25. Giribald. de Sacrif. Missæ c. 7. num. 14.

**CAS. III.** Berta, ad magis fovendum amorem in Puerum Jesum, in Missa noc-

nocturna Natalis Domini enixe petiit Sacra refici Communione; cui petitio- ni Parochus annuit. Q. an Parochus bene se gesserit.

Respondeo negative. Nam ex superadductis pro secundo hujus mensis Casu Decretis sive Sacrae Rituum Congregationis, sive Synodi nostræ Dioce- sanæ, æqualiter vetitum fuit, tres successive Missas Natalis Nocte cele- brare, ad Sacram Synaxim in Missa, quæ celebrari permittitur, deposcen- tibus exhibere. Cum autem prædicta Decreta vim legis habeant, & obedien- tiæ obligationem inducant, Parochum nostrum, qui Berta petitioni annuit, male se gessisse dicendum est. Ita cum supradictis, aliisque communiter.

ANNO MDCCXLII.

MENSE JANUARII.

**CAS. I.** **T**empore Jubilæi, quo concessa fuerit facultas commutandi vota, petiit Petrus à Confessario communionem juramen- ti ad Dei honorem facti de non amplius aleis ludendo. Q. an stan- te legitima permutandi causa, potuerit tale juramentum Confessarius per- mutare.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia cum juramenta promissoria in ho- norem Dei emissâ nil aliud sint quam promissiones redendi Deo juratam rem, ita ex communi mente Doctorum induunt naturam voti, ut moraliter loquendo, vinculum juramenti prædicti à vinculo voti non differat, cum unum æque, ac aliud eamdem omnino obligationem inducat. Licet proinde si de alis juramentis sermo sit, quæ diversam à voto important obligationem, privilegium, quod communi juri adversatur, ne uno ad aliud nequeat exten- di, poterit in nostro casu privilegium commutandi vota extendi ad commu- nationem juramenti in honorem Dei emissi de non amplius aleis ludendo, cum juxta regulam juris, quod in uno æquiparatorum dispositum est, etiam in altero dispositum censeatur. Ita Anacl. de juram. n. 41. & de voto n. 52. Laym. L. 4. tr. 3. c. 11. Homob. tr. 7. q. 77.

**CAS. II.** Antonius occidendo Cajum ex defectu plenæ advertentiæ venia- lem tantummodo culpam commisit. Q. an teneatur sub gravi culpa resarcire damnum occisi Caji familiæ inde secutum.

Respondeo negative. Ratio est, quia, sicuti si in Caji occisione nulla prorsus intervenisset culpa ex eo, quod per motum primo primum, vel per ca- sum omnino fortuitum ipsiusmet Caji occisio accidisset, nullatenus ad re- parandum damnum occisi Caji familiæ secutum Antonius teneretur; ita, si ex defectu plenæ advertentiæ gravis culpa non intercessit, nulla debet ipsi Antonio obligatio gravis imponi, cum æque repugnet, quod habeatur ef- fectus absque tilla causa, ad quod effectus major sua causa admittatur. Et sicuti in foro externo gravi pœna puniri non solet illud delictum, quod in eo-